

DISSERTATIO MEDICA

45.

DE

GLANDVLA
THYROIDEA

IN

STATV NATVRALI
AB
OVVLIS VERMINOSIS LIBERA
CONTRA

JACOBVM VERCELLONIVM

QVAM

CONSENSV

GRATIOSISSIMÆ FACVLTATIS MEDICÆ

PRÆSIDE

JOANNE HAGERO

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE
IN ALMA LEVCOREA

D. XXIII. APRILIS A. O. R. MDCCXXI.

IN AVDITORIO MEDICO

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI
exponit

JO. GODOFREDVS RICHTER

JAENISCHWALD. NEO - MARCH.

STVD. MED.

Anat.

B.

VITEMBERGAE, Literis GERDESIANIS.

54,22

DISEASES OF THE

GLANDULAR

THEORY OF

STATISTICAL

OF THE

OF THE

JACOBY

OF THE

OF THE

OF THE

JACOBY

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

JO. GODOL

OF THE

OF THE

RITTMER

DISSERTATIO
DE
GLANDVLA THYROIDEA
IN STATV NATVRALI
AB OVVLIS VERMINOSIS LIBERA
CONTRA
JACOBVM VERCELLONIVM.

§. I.



Haec est quorundam medicorum
indoles, ut illis, quae usu et
ratione comprobata sunt,
non contenti, semper ad no-
uas et contrarias opiniones
cogitata sua intendant, ua-
riisque altercationibus prae-
beant ansam. Exinde uero artem salutarem
plus capere iacturae, quam utilitatis, dudum
A 2 harum

harum rerum peritissimi agnouerunt, et hanc ob causam ultro citroque multas jactarunt querelas. Ad hoc uitium omni aetate homines fuerunt procliues, in quos jam Cicero lib. I. de natura Deorum grauiter inuehitur: quid, inquit, tam temerarium, tamque indignum sapientis grauitate atque constantia, quam aut falsum sentire, aut id, quod non satis explorate perceptum sit et cognitum, sine ulla dubitatione defendere. Miserum horum ingeniorum statum optime describit Dan. Sennertus de consensu chym. C. II. p. 19. medici rerum contemplationem et inspectionem negligentes, domique conclusi, et quibusdam hypothesis seu opinionibus innixi, naturae potius leges praescribunt, nunquam uero, ne quidem aliquando cani, ad naturae abdita mysteria penetrabunt, nec illius maiestatem et admirabilitatem aspicient. Studium imprimis hoc aeuo nouarum opinionum, apud quamplurimos non uulgarem obtinet locum, quorsum quoque referimus sententiam, cui indulget Cl. Jacobus Vercellonius, in dissertatione Anatomico-Medica, de glandulis oesophagi conglomeratis, Astae 1711. in 4. edita, in qua aliis persuadere adlaborat, ex glandula thyroidea, colli maxima,

CON-

congeriem ouorum uerminosorum ad oesophagum et uentriculum transmitti, quae chylo characterem uitalem conciliarent, *uid. Cl. Heisteri compend. Anatom. p. 181. et in notis subiunctis p. 209.* Hoc assertum, quoniam in statu hominis sano, ueritati repugnat, in praesenti sub examen uocare animum induximus. Prius autem quaedam, data occasione, in genere de uermibus, qui in corpore humano reperiuntur, uel finguntur, morbisque uerminosis, quos nonnulli affirmant, differere, a scopo nostro non alienum erit.

§. II.

Inueniuntur autem, id quod rerum usus docet, uermes in plerisque machinae humanae partibus, eorumque cohors tragoediam non unam ludit. Illas enim calamitates sentiunt aegri, ac sustinere coguntur, in capite, auribus, oculis, naribus, dentibus, corde, pericardio, liene, hepate, renibus, uesica fellea, urinaria aliisque, ut uermes uariarum specierum in primis uiis, in generatione multoties immutatos, silentio transeamus. Horum uermiculorum ortum si quis scire exploratumque habere uelit, uaria a uariis disputata deprehendet.

det. Dantur enim quidam, qui materiam putridam a calore, instar principii motum inferentis, fœcundatam, ceu rudimentum istorum animalculorum asserunt, quae uetus est opinio *Aristotelis L. V. cap. XIX. histor. animal. p. m. 944.* Τα δὲ ἐν βορβόρω καὶ κόπρω σηπομένη *alia (animalia) in uel ex coeno aut fimo putrescente oriuntur.* Plura uidesis apud *Fortunatum Licetum, Genuensem, in lib. de spontaneo uiuentium ortu edit. Vicentiae 1618. in fol. A Stagiritae partibus e recentioribus stat Cl. Godofred. Polycarp. Muller. in sua Philosophia facultatibus superioribus accommodata sect. II. cap. XIV. §. 59. p. 356. rursus, scribens, alia animalia ex uariis uegetabilibus, imo animalibus, corruptis ac putrefactis conuenienteque calore agitatis prodeunt.* Sed cum Numen diuinum omnibus uiuentibus ita benedixerit, ut augerentur secundum speciem suam, causaeque exteriores non tanta polleant ui, ut animalium organa fabricare atque ordinare queant, quorum structura intellectum humanum fugit, ratione magis fulciri censemus, si generatio animalium uniuoca, atque ex ouulis facta constanter credatur atque retineatur, *uid. Magnif. Dn. D. Christ. Vaterus Patronus ac*
Prae-

Praeceptor noster aeternum uenerandus, *in sua Physica p. 341.* Quod putredo, etiamsi a calore adjuta, ad uermes producendos minus idonea sit, egregium experimentum a *Cel. Francisco Rhedi*, Philosopho et Medico Aretino, institutum confirmat, qui uasis uitreis rite occlusis carnem corrumpendam conclusit, sed ex ea putrefacta nullus uermis emerfit, quod etiam euenit, cum uas carne repletum uelo Neapolitano rariori ita obduxisset, ut aëri quidem, non uero muscis aut uermiculis aditus fuerit concessus. Quando autem *Cl. Nic. Andry lib. de generatione uermium in corpore humano*, refert, etiam hoc modo in carnibus uermes fuisse conspectos, id ei largimur, si antea a seminibus uerminosis non fuerint liberae. Quorum sententia ab *Hippocratis lib. 1. de diaeta sect. IV. p. 8. edit. Foëssian.* *Ξυνίσταται τὰ ζῶα, τότε ἄλλα πάντα, καὶ ὁ ἄνθρωπος ἀπὸ δυοῖν πυρὸς λέγω καὶ ὕδατος, i. e. constant animantia, et alia omnia homoque ex duobus, igne inquam et aqua*, autoritate pendet, uermium primordia ex igne et aqua, quae cunctis naturalibus communia perhibet, desumere solent. Ast haec de principiis primis, licet minus conuenientibus, intelligenda

ligenda

ligenda sunt, nec progenerationem ex ouulis capiendam tollunt. Aliorum placita simul attingere, opera nullius esset pretii. Satis itaque firmus certusue manet uermium ortus, omniumque animalium communis ex ouis origo, *uid. Illustr. Bergerus, Patronus noster sancte colendus in Physiologia medica Lib. II. cap. I. p. 456.* Nullum iusuper est dubium, quin uermes in corpore humano ex suis feminibus illatis, caloris ope enati, eadem ratione multiplicentur, certiores nos reddente *Petro Borello obs. 89. cent. I. p. m. 94. uermen, inquit, crassum, ab hominis corpore eductum, forteque pedibus exenteratum, non sine admiratione uidi, uermiculis innumeris refertum esse. Quare non mirum, si in corpore nostro tanta copia generentur, cum et ipsi generent sibi similes, conf. supra laudatus Andry.*

§. III.

Non solum in diuersis corporis humani cavitatibus uermes diuersoria sua, in quibus latitant, nanciscuntur, sed quoque non desunt, qui euincere nituntur, eiusmodi animalcula ex ipso sanguine putrefacto exoriri, et grauissimis malis causam sistere proximam. Commodus
igitur

igitur suppeditatur locus inquirendi in mentem famigeratissimi *Athanasii Kircheri*, qui in *scrutinio pestis, sect. II. cap. 4. p. 239.* opinatur, pestilentiam funestam consistere in putredine uermi-
nosa, ita, ut hanc luem quoque uocauerit ani-
matam. Attamen haec persuasio tamdiu a uero
desciscit, quamdiu succus noster uitalis sanguis,
cordis impulsu per arterias ac uenas mouetur, ubi
summus putredinis gradus adesse, eaque corpus
diffluere nequit, licet maximam sanguinis corru-
ptionem in peste haud inficiemur, *uid. Celeberr.*
Bergerus, in disp. de pestilentia uera, §. 10.

§. IV.

Infirmo pariter talo nititur opinio, quae arridet
Cl. Siegmund. August. Pfeiffero, in tract. de
uariolis epidemiis malignis, uerminosis, Sedin. 1719. 8.
p. 67. quando existimat causam uariolarum re-
motam esse acidum fermentatiuum, proximam
uero uermes, seu seminium uerminosum, nobis-
cum natum, et in utero materno una cum succo
nutritio implantatum. Mirari autem licet, *Cl.*
uirum aliquid supponere, quod minus dedit pro-
batum. Seminia enim uerminosa in utero mater-
no contracta, in statu corporis humani sano sal-
B tem

tem fingit, et ex falso hoc posito suam hypothesin corroborare frustra intendit. Nullum etiam recipit subsidium ex consensione *Christ. Langii*, in *disp. de morbillis* §. 59. *August. Hauptmann. in epist. ad Kircherum de uiua mortis imagine* p. 200. *Petr. Borell. obs. 72. cent. II. p. m. 171.* qui uermiculos in uariolis uisos testantur, quibus adiungere possumus *Jo. Schmid. obseruat. de uariolis uerminantibus, quae extat Ephemerid. Germ. ann. VIII. p. 142.* commemorantem, in plicis colli uariolis afflicti, plusquam quinquaginta uermes fuisse repertos. Verum hic scire refert, potius ista inquinamenta uerminosa, ubi obseruata sunt, forinsecus esse inducta, ac cum uariolarum ulcusculis esse communicata, quo in negotio nobis assentitur supra laudatus *Andry* l. c. cap. 2. Non tamen refragabimur, si quis contendat, ouula uerminosa cum aëre et alimentis deglutita, demum in eiusmodi materia purulenta, quod in tumoribus pure refertis, qui pestem comitantur, quoque non diffitemur, subinde excludi. Interim nondum sequitur, causam istorum malorum proximam, efficere uermes. Praeterea *Cl. Pfeifferus* suam assertionem e similibus stabilire conatur, uariis scilicet liquoribus, aliisque rebus corruptis
et

et putrefactis, lacte, uino, cereuisia, caseo, car-
nibus etc. uermiculorum copia repletis, ex qui-
bus autem rursus demonstrare nequit, femina uer-
minosa non esse aliunde assumpta. Nihil etiam i-
psum iuuant symptomata, ut ceteras *Cl. Autoris*
rationes fidei admodum sublesta omittamus,
quae uariolae cum lumbricorum morbis affinia
habent, respiratio uidelicet difficilis, anxietas cir-
ca praecordia, uellicatio narium, tussis, dentium
stridor, nausea, uomitus, tormina, ac reliqua,
quae maximam partem in aliis affectibus sedem
suam quoque inueniunt, licet nemo causam eo-
rundem proximam quaerat in uermibus, atque in
uariolis ingentem humorum acrimoniam denotant.

§. V.

Propter rei propinquitatem ac cognationem
hic quoque mentionem injicimus sententiae
Cl. Leeuwenhoeckii, qui *Anat. p. 152.* acerbe istos
taxat, qui generationem ex ouulis defendunt,
dum *omnes*, ait, *errasse ego dico, et adhuc dum*
errare, qui dicunt, homines et animalia ex ouis
prognasce, cum potius secundum ipsius mentem
in animalium seminibus multi uermes appareant,
in quibus tota futuri foetus delineatio continea,

B 2

tur-

tur, id quod clare profiteretur *Anatom* p. 149. *canis admodum fortis, atque in flore aetatis, masculum desumsi semen, ac contemplatus sum, post emensum septem dierum et septem noctium spatium, pauca adhuc animalcula superesse in uiuis, inter quae pauca quaedam tam uelociter natabant, quasi recenter ex cane prodiissent. Hinc haec animalcula diutius in tuba siue matrice posse uiuere, animo praesumebam meo, ac quoque nostrae mulieres, non praecise eo die siue tempore, quo cum uiro rem habuerunt, foecundas siue grauidas fieri, sed easdem post octo aut decem, imo plures quidem dies, postquam coiuerunt, grauidas posse fieri, quia post aliquot coitus dies, ex multis saltem animalculis unum animalculum eousque peruenire potest, ut punctulum istud, animalculum fouendo aptum, attingat, conf. p. 160. 168. cuius uestigia inter alios premit supra nominatus *Andry, in adducto tract. p. 104.* Perhibetur tamen primus huius sententiae autor, *Nicolaus Hartsoeckerus, qui in tentamine Dioptricae 1694. Paris. edito asseuerat, se iam ante uiginti annos eiusmodi animalcula, microscopiorum ope, in brutorum feminibus attendisse, testantibus id literis, quas anno 1678. ad collectores diarii eruditorum Parisiensis exarauit,**

ravit,

rauit, idem referente *Cl. Dionisio*, chirurgo celeberrimo, in *diss. de generatione hominis, idiomate Gallico conscripta*, vid. *Verheyen in supplement. Anat. tract. l. cap. 15. p. 69.* Totam autem hypothesein perquirentes, fidem isti adhibere non possumus, siquidem microscopia etiam perfectissima in rebus minimis fallunt, phantasiae ad varios errores uiam facile muniunt, uermiumque in feminibus sanorum, (in morbofis enim haud negamus) praesentiam nullo modo euincunt; deinde ueritati consentaneum est, corpuscula illa, quae *Leeuwenhoeckius* pro uermiculis uenditat, rectius iudicante *Cl. Verheyen l. c.* esse tantum particulas feminis subtiliores, diuersimode motas et agitatas. Nam neque sola figura partium minutissimarum analoga, neque motus earundem inordinatus, uermiculos ueros probant, multo minus sexus diuersitas, nisi per somnium, exinde perspici potest. In medium quoque hoc uenit, cur, re tantisper admissa, unicum modo animalculum, producat foetum, cum tanta eorum statuatur copia, nec reliqua, quae sane perire deberent, cum tamen illorum naturam ineptam nullus adhuc satis demonstraerit. Cetera rationum momenta silentii peplo inuoluimus, quoniam certo sumus

persuasi, neminem huic rei assensum praeberere, cui, aliquid aequa iudicii lance librare, datum est.

§. VI.

Jam ut ad *Vercellonium Pedemontanum*, a quo digressi sumus, reuertamur, mens eius eo tendit, ut in *dissertatione citata* nouum digestionis ciborum in uentriculo modum cum orbe literato communicet, atque hac ratione numerum de dicto negotio inter se dissentientium adaugeat. *uid. act. erudit. supplim. T. VI. §. 6.* Veterum enim quidam, duce *Erasistrato*, cibos in uentriculo atteri contendebant, quod ab isto ex ignorantia circuli sanguinis, motus uentriculi peristaltici, eiusque menstrui, minus sufficienter dictum est, et adhuc uero contrariatur, licet sub *Erasistrati* uexillis recentissime militet *Archibaldus Pitcarnius* in *peculiari dissert. 1693. habit. et in eius opusculis medicis, Roterod. 1714. in 4. edit. recusa*, et alii, de quibus hic uerba facere non lubet: quidam *Plistonico*, *Praxagorae* discipulo, morem gerentes, alimenta in uentriculo putrescere credunt, quibuscum e recentioribus consentit *Martin. Listerus* in *diss. de humoribus cap. III. p. 50. uentriculi*

triculi concoctionem uere putredinosam esse, affirmans. Cum autem putrefactio sit motus partium heterogenearum intestinus excessiuus, et destructiuus, *uid. Magnif. Dn. D. Christian. Vaterus, in Physic. Sect. II. cap. I. thes. 8. p. m. 124.* hanc in alimentis, ex quibus optimus succus, nimirum chylus, exprimi debet, concedere non possumus. Alii imitantur *Hippocratem*, qui per calorem cibos concoqui, multoties decernit, quamuis tamen solus longe impar sit. Alii nouorum per fermentationem cibos in uentriculo confici autumant, uti sunt *Dolaeus in encyclopaedia medica, p. 201. VValdschmidius in fascic. diss. p. 122. Broeckhuysen in suis cogitationibus de mente et corpore, p. 49.* quae opinio, si de fermentatione naturali, nec chimica, accipiatur, tolerari potest. Multi putant, spiritus animales per neruos octauae coniugationis, in uentriculi cavitatem hiantes, eo deriuatos, in cibis digerendis utramque facere paginam, *uid. Guil. Harueus, in lib. sub tit. the vanities of philosophy and physick, edit. Lond. 1700. in 8.* a quo non multum discedit *Carol. Leigh, in lib. qui inscribitur: the natural history of Lancashire, Cheshire etc. edit. oxon. 1700. in fol.* Ast unicum fluidum

dum

dum vitale tantis uirtutibus non est instructum. Singularem fouet sententiam *Christianus Democritus*, in lib. de uitae animalis morbo et medicina, suae uindicata origini, disquisitione *Physico-Medica*, *Lugd. Batau.* 1711. 8. ubi tradit, dari in uentriculo ignem flammantem, ceu praecipuum concoctionis instrumentum; qui uero, cum experientia contradicat, tantum in ipsius cerebro excitatus est. Plura uide apud *Illustr. Bergerum in Physiologia medic. cap. VII. p. 129.* *Cl. Albert. in disput. de praedudicatis quibusdam in Physiologia opinionibus, §. XVI. p. 37.* His, et pluribus aliis, quos sicco, uti ajunt, pede transire constituimus, accedit *Vercellonius*, ratum habens, ex glandula circa sinistram uentriculi orificium, dorsalibus et bronchialibus, liquorem quendam in oesophagum et uentriculum emanare, ad cibos in hoc digerendos ac subigendos. *Bronchiales* quod attinet, istae reperiuntur in maioribus tracheae et bronchiorum diuisionibus, quarum tamen ductus excretorius ad oesophagum, pro secretionem lymphae cuiusdam, cuius meminit *Autor*, nondum prodiit in conspectum, uid. *Cl. Heisterus, in compend. Anat. p. 183. seq. id. in ephemerid. societ. curios. Cent. VII. et VIII.*

amb

VIII.

VIII. Glandulas dorsales circa quintam dorsi uertebam, posteriori oesophagi parti adhaerentes, meatum suum ad hunc quoque dirigere, rursus quidem *Cl. Autor, in citata Dissertatione*, confirmat, et iam ante eum *Cl. Fantonus, Anatom. corp. human. diss. III. p. 55.* tale quid hariolatus est, lumbricis simul ibidem, quod de statu praeternaturali intelligimus, inuentis, astipulante *Cl. Jo. Baptista Morgagnio Aduers. III. p. 5.* ubi recenset illas glandulas crebro in canibus turgere, et a uermiculis quibusdam rubentibus, oblongis et tenuibus incoli atque obsideri, quod iterum de corpore praeter naturam se habente, credendum est, sed canaliculi ordinarii hucdum effugerunt uisum Anatomicorum, quamuis sedulo in istos inquisiuerint. *uid. Cl. Hist. l. c. p. 185.* De glandula sinistro uentriculo assita, rei Anatomicae gnari adhuc ualde dubitant, utrum in homine existat, quam quidem in porcis saepe inuenit, ductum uero detegere non potuit *Cl. Heisterus, vid. eius compend. Anatom. p. 186.* Relinquitur igitur nouum *Vercellonii* menstruum, digestionem ciborum inseruiens, suspectum, donec argumenta fide digna in lucem proferantur. Nobis sufficit liquidum, ab arteriarum gastricarum poris, quos
C gland-

glandulas stomachi appellant, perspiratione e
 crusta uillosa redditum, quod pro sua natura
 una cum calore, motu, aliisque mediantibus, di-
 gestionem ciborum perficit, *uid. Illustr. Bergerus
 in Physiologia medica, cap. VII. p. 132.* Iam de ipsa
 glandula *thyroidea* folliciti, quae in collo locata,
 instar lunae cornutae, cornubus ex utroque la-
 tere sursum spectantibus, ac cartilagini thyro-
 deae, cricoideae atque oesophago adhaerenti-
 bus constat, cuius pars media inferiori laryngis,
 & superiori asperae arteriae parti associatur, *uid.
 Cl. Heist. l. c. p. 181.* Datur tantum unica, iuxta *Io.
 van Horne, apud Barthol. Anat. quart. renouat.
 L. II. cap. II. p. 445. Iulium Casserium, tabul. Ana-
 tom. XV. f. 3. Heister, l. c. p. 181. Morgagn. aduer-
 sar. Anatom. I. §. 26. p. 33. V. animadu. 35. p. 48.* &
 male a nonnullis duae statuuntur, *uid. Andr.
 Vesalius de human. corpor. fabrica L. II. c. 21. fig.
 2, 4, 5. quibusdam facit Verheyen Anat. tract. III.
 cap. XI. p. m. 189.* confutatus autem a *Cl. Heist. in
 praefat. compend. Anatom. p. XIII. & Cl. Morgag-
 nio Aduers. V. l. c.* In hac *thyroidea*, tanquam nido,
 secundum *Vercellonium*, ouula uerminosa gene-
 rantur ac fouentur, quae deinde in oesopha-
 gum, et ex hoc in ventriculum ad concoctionem
 ali-

alimentorum quasi animandam immittuntur; in quo etiam incertus est *Cl. Heisterus, in compend. Anat. p. 182. cum*, inquit, *hanc turgidam glandulam, ad interiora lustranda, dissecarem, liquidum limpidum effluebat, quod repletissimum erat sphaerulis flauescentibus, quae, ut guttae olei minutissimae, aquae innatabant. Vtrum uero haec corpuscula, ouula fuerint Vercellonii, an aliud quid, determinare non audeo.* Si autem dicendum est, quod rei ueritas postulat, tam ouula uerminosa *Vercellonii*, quam sphaerulas flauescentes *Heisteri*, exponimus per particulas istius liquoris perminutas, principiis communibus, a quibus etiam in stasi colorem illum acquisiuerunt, stipatas, & motu suo gaudentes, ut uermes in statu morbofo, quos admittimus, ac uiam ex nominata glandula ad oesophagum tendentem, quae plane aberrat, imo inuia est, silentio praetermittamus. Nulla itaque ratione opinioni *Vercellonii* uerminosae, locus tribui potest, quam quoque ante nos reiecit *Jo. Guilielm. Pauli, Anat. et Chirurg. Prof. Lipsiens. clarissimus, in peculiari programme, 1718. diuulgato.* De ductu huius glandulae excretorio, nemo hucusque aliquid affirmare potuit. Interim cum *Excell. Dn. D. Abraha-*

mo Vatero, Praeceptore ac Fautore nostro aestu-
 matissimo, qui in rebus Anatomicis detegendis
 haftenus felicissimus fuit, in *programmatis de no-
 uo ductu salivali, eoque praecipuo in lingua excre-
 torio glandulae insignis, ad latera linguae, sub ea-
 dem sitae, itemque super radicem linguae, epiglot-
 tidem, circa glottidem super arytaenoideas usque
 intra oesophagum, expansae, superiori anno in 4.
 edit. coniectamus, glandulam thyroideam, in no-
 uo ductu salivali, cum viam aptiorem, ad insi-
 gnem utilitatem in ore praestandam, inuenire
 non possit, suum quoque habere
 exitum.*



NOBI-

NOBILISSIMO
ATQVE
DOCTISSIMO
DOMINO
RICHTERO
RESPONDENTI SVO DILECTO
S. P. D.
PRAESES.

Multa et uaria sunt, quo-
rum artis salutaris cultor
notitiam sibi acquirere
debet, ut ab aliis, qui illotis ma-
nibus

nibus illam exercent, euidenter
distinguat, *uid. Celeberr.*
Frid. Hoffmann. disput. de
difficultatibus in medicina ad-
discenda. Inficias enim ire ne-
mo potest, tales hoc aevo medi-
ci nomen circumferre, qui lite-
rarum prorsus sunt expertes,
unam vel alteram medicinae
partem saltem libarunt, iudicio
blenno praediti, cum tamen,
quicquid praecleari medicus prae-
stare potest, ab ejus iudicio ex-
polito proficiscatur, nec linguae
eruditorum latinae, alia taceo,
qua ad libros bonae notae intel-
ligendos et consulendos indige-
mus, gnari, ita, ut saepius illam
recte pronunciaré nesciant, *conf.*
antea

antea laudati Dn. D. Hoffmann. diss. de differentia medici, et practici medicinae. Ejusmodi autem homunciones nihil aliud referunt, si ab aliis liberi euadunt, quam ignominiam, juxta effatum Diui Hippocratis, sect. I. de lege, edit. Foes. p. 2. πρόσμιον ἰητρικῆς ἐν τῆσι πόλεσιν ἔδεν ὠρίσασθαι, πλὴν αἰδοξίης, i. e. poena arti medicae in urbibus nulla (isto scilicet tempore) praefinita est, nisi ignominiae. Ab horum societate, Nobilissime Ricbtere, discedere cupis, dum animum induxisti, ea Tibi reddere cognita atque perspecta, quae solidam rerum medicarum

dicarum cognitionem parant et efficiunt. Nihil igitur superest, quam ut instituto Tuo laudando imposterum sedulo inhaereas, istudque exequi omnes ingenii vires intendas. Hac ratione in dubitationem haud adducor, quin euentus meae opinioni, ac Tuae familiae expectationi respondeat, exoptatos studiorum Tuorum fructus aliquando percipias, et ad illam metam, quam Tibi praefixisti, auspicato pertingas. Ad hoc impetrandum, Numinis Diuini gratiam, ualitudinem firmam, ac Patronorum fauorem, Tibi ex animo apprecor.

Anat. B. W. H. v.